

auxilium est præveniens, et a solo Deo fieri debet, dum actu non datur, non potest constitui in potestate hominis, nisi mediante alio actu, quo homo se disponit ad tale auxilium obtinendum, ut cap. 2, ex Concilio Tridentino, declaravi: ergo auxilium illud, quod supponitur actu datum, est proxime sufficiens ad illam priorem dispositionem, et ita ad illam includit omnia auxilia prævenientia necessaria actu data, et respectu ulterioris actus est tantum remote sufficiens; ergo in universum auxilium proxime sufficiens includit omnia auxilia prævenientia in ipso homine jam recepta. Auxilium autem remote sufficiens cum proportione includit illa ut existentia in potestate libera hominis, ut satis explicatum est.

10. *Prius natura in nobis recipi debet, quam ut per eam operemur.* — Secundo, idem probatur, quia auxilium proxime sufficiens dat integrum posse; ergo dat actu omnia auxilia prævenientia. Antecedens notum est, tum ex dictis capit. 2, tum etiam quia dat potestatem liberam, ideoque imputatur homini si non operetur; consequentia vero probatur, quia auxilium præveniens a solo Deo fit in nobis sine nobis, saltem libere operantibus: ergo comparatum ad actum liberum, propter quem datur formaliter, dat posse et non agere. Probatur consequentia, quia illud auxilium, quando actu a Deo datur, prius saltem natura in nobis recipitur, quam nos per illud operemur: ergo non dat per se ac formaliter agere, sed posse agere. Probatur consequentia, quia non dat actum secundum, sed aliquid prius illo, per quod ipse actus secundus fit: ergo datur tanquam actus primus proximus actui secundo, vel tanquam principium ejus: ergo dat posse efficere actum secundum. Respondent illud auxilium præveniens, quod et distinctum est a toto auxilio excitante, et post illud datur, non separari ab actu secundo, propter quem datur, sed infallibiliter illum inferre, et ideo non dare posse, sed agere. Sed contra, quia etiam quando actus secundus est necessario conjunctus cum potentia, distinguitur posse ab agere, quia necessaria connexio non confundit actionem cum potestate; semper ergo aliunde habet res ut possit, et aliunde ut agat; patet in lumine gloriæ, quod non separatur a visione, sed infallibiliter ac necessario infert illam, et nihilominus dat formaliter posse, agere autem consequenter seu efficienter, nam formaliter agere est ab actione: ergo in presenti, dato et non concesso, quod illud præveniens auxi-

lium infallibiliter inferat voluntatis consentum, nihilominus per se et formaliter dat posse, et non agere, nisi subsequenter, et effective agendo simul cum voluntate; ergo auxilia quæ præcedunt ante hoc ultimum præveniens non dant integrum posse, cum expectent aliud completivum ipsius posse: ergo sine tali auxilio præveniente non sunt sufficientia; nam de ratione auxilii proxime sufficientis est, ut includat omne auxilium præveniens necessarium ad opus.

11. *Gratia proxime sufficiens includit etiam gratiam adjuvantem, non ut actu datam, sed ut positam aliquo modo in proxima hominis potestate.* — Probatur assertio ex Concilio Tridentino. — Dico quarto: auxilium proxime sufficiens non includit sola auxilia excitantia, sed etiam aliquo modo adjuvantia, non quidem ut actu data sicut excitantia, sed ut posita aliquo modo in proxima hominis potestate. Hæc assertio ex dictis in cap. 2 probata fere relinquatur; breviter tamen potest in generali sumi ex Concilio Trident., sess. 6, can. 3, sic definiente: *Si quis dixerit sine Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adiutorio hominem posse, etc.* Ergo, ex doctrina Concilii, non solum auxilium excitans, quod nomine inspirationis intelligitur, sed etiam adjuvans, quod nomine adiutorii significatur, necessarium est, ut homo possit operari: sed auxilium simpliciter et collective sufficiens includit omnia auxilia necessaria ad posse, ut satis probatum et explicatum est; ergo tale auxilium sufficiens includit non tantum excitantia auxilia, sed etiam adjuvantia.

12. *Probatur assertio ratione.* — Deinde confirmatur explicando alteram partem, per quam hæc declaratur, quia gratia adjuvans, ut supra dixi, duplex est, una per modum principii, alia per modum actionis; et utraque esse potest ut actu homini data, vel tantum oblata, ut sit in potestate vel arbitrio hominis habere illam si velit: auxilium ergo sufficiens non includit necessario omnem gratiam adjuvantem in actu datam, ut convincit argumentum alterius opinionis, quia jam non esset tantum sufficiens, sed etiam efficax, quia involveret effectum; non enim potest auxilium adjuvans, datum per modum actionis, separari ab effectu, et ab actione hominis, sine qua non potest intelligi actio adjuvans Dei, quo sensu recte dixit Augustinus: *Nemo juvatur nisi qui aliquid sponte conatur.* Igitur auxilium sufficiens, ut sic, non includit hoc auxilium juvans per modum actionis, ut actu datum; includit

vero illud ut oblatum et positum in hominis potestate, ut convincit ratio, quæ ex dictis cap. 2 desumitur, quia auxilium proxime sufficiens includit aliquo modo omnia necessaria ad operationem: ergo etiam includit auxilium actuale adjuvans; sed non includit actu; ergo saltem in potestate proxima: cur autem hanc potestatem, proximam appellem, ex dictis in fine cap. 2 constat, nam quod ibi dixi de concursu divino, procedit in hac adjuvante gratia, quia vel sunt idem, vel eadem est utriusque ratio.

13. *Auxilium sufficiens debet includere aliquo modo omnia necessaria ad opus, alioquin non erit in absoluta hominis potestate operari.* — Et fere cum eadem proportione loquendum est de gratia adjuvante per modum principii, nam hoc principium interdum potest esse habitus, de quo, aliquando includi in gratia sufficienti, dicam capite sequenti; quia vero non semper necessarium est ad operandum, sed ejus activitas per aliud genus principii vel actualis auxilii suppleri potest, ideo necesse est ut auxilium sufficiens, quod non supponit habitum, includat aliquid aliud, supplens vicem habitus in ratione adjuvandi potentiam ad operandum: ergo et ex hac parte auxilium sufficiens includit adjuvantem gratiam, non tamen includit illam necessario ut actu in hærentem homini, quia sæpe talis gratia nihil ponit in homine prius tempore quam operetur, ut nunc suppono, et in sequentibus probabo; auxilium autem sufficiens præcedit tempore operationem, imo sine illa existit, quoties est solum sufficiens; ergo ut sic non includit talem gratiam ut actu datam: necesse est autem ut saltem includat illam ut oblatam et paratam ex parte Dei, propter rationem sæpe factam, quod auxilium sufficiens debet includere aliquo modo omnia necessaria ad opus, quia alias non erit in absoluta potestate homini operari per tale auxilium, quia non potest operari sine habitu, vel aliquo principio supplente vicem habitus; ergo si nec habet habitum, nec aliquod principium loco illius actu datum, nec etiam paratum ac positum in hominis potestate, revera non habet potestatem ad operandum, quia hæc potestas non est innata, loquimur enim de auxilio sufficiente ad actus supernaturales, sed debet extrinsecus provenire et a Deo dari: non potest autem dari, nisi altero ex illis duobus modis, scilicet, vel quia sit homini infusa per habitum, vel aliam rem præviam in hærentem potentia, vel quia Deus paratus sit ad

supplendum aliter coefficientiam habitus; quis enim alius modus cogitari potest? Ergo si nullo ex illis modis hæc gratia adjuvans conferatur, non est in homine potestas ad tales actus, ac proinde nec auxilium sufficiens: ergo gratia sufficiens etiam ex hac parte includit aliquo modo auxilium per modum principii adjuvans.

14. *Auxilium excitans cum sufficiente non convertitur.* — Ultimo, dico auxilium excitans non converti cum auxilio sufficienti, quia potest auxilium excitans interdum esse efficax: hæc assertio pendet ex dicendis in libro sequenti, et probatio ejus ad illum locum pertinet; hic solum eam proponimus tum ut distinctio inter auxilium sufficiens et efficax, et similiter inter auxilium excitans et sufficiens intelligatur; tum etiam ut argumentis in principio positis satisfaciamus, quod, suppositis quæ diximus, non erit difficile.

15. *Solvuntur argumenta initio proposita.* — *Ad primum respondetur.* — Ad primum ergo, de divisione auxilii in excitans et adjuvans, sumptum ex Concilio Tridentino, respondemus negando consequentiam, qua infertur auxilium sufficiens contineri sub altero membrorum, quæ ponit Concilium, vel cum illo converti, quia singula membra præsentis divisionis possunt utrumque membrum a Concilio positum ex parte comprehendere, ut ostensum est; quocirca illo argumento solum probatur auxilium sufficiens non includere alia auxilia, nisi vel excitantia, vel adjuvantia, quia revera non dantur alia; non tamen inde sequitur vel auxilium sufficiens includi in solis excitantibus, vel efficax in solis adjuvantibus, quia hæc divisio, quam nunc tractamus, longe diversa est ab illa; nam illa datur de auxiliis secundum intrinsecam rationem eorum, hæc datur de auxiliis secundum modum connexionis quam habent cum effectu libero per illos intentum. Unde in priori partitione, auxilium excitans et adjuvans sigillatim et divisim (ut sic dicam) spectantur, secundum id quod unumquodque eorum per se et proxime confert libero arbitrio. In hac vero partitione considerantur collective, vel quatenus ad sufficientiam, vel quatenus ad efficaciam operandi liberum actum, necesse est tam auxilium excitans quam adjuvans concurrere. Unde cum in illo argumento additur non posse adjuvans auxilium esse tantum sufficiens in suo ordine, respondemus esse verum de toto auxilio adjuvante actu dato, et per modum actionis, non vero de adjuvante, vel dato per modum prin-

cipii tantum, vel oblato, et posito in manu hominis quoad actuale adiutorium.

16. Unde ad primam confirmationem, respondetur non solum gratiæ excitanti, sed etiam adjuvanti datæ per modum principii, vel oblatae per modum concursus et actionis, resisti posse, ut nunc suppono, et in libro sequenti ostendam. Ad confirmationem secundam, dicimus auxilia excitantia externa simul cum internis, si non secum afferant auxilia adjuvantia, vel actu data, vel sufficienter oblata, ita ut sit in potestate hominis illa habere, si voluerit, non sufficere ut homini possit ad peccatum imputari, quod talibus excitationibus non utatur, ut satis probatum est; quia vero, secundum ordinariam legem et debitam providentiam, unum auxilium non datur sine alio, altero ex dictis modis, ideo peccat qui, sufficienter excitatus vocationi, repugnat contra aliquod præceptum.

17. *Solvitur tertia confirmatio.* — Ad tertiam confirmationem, respondetur etiam gratiam adjuvantem per modum principii dare suo modo posse, ut ex dictis in præcedenti libro notum est. Nec oportet id quod adjuvat per modum principii physici semper esse homini inhærens, ut in præcedenti libro tetigi et probavi; sed potest Deus ipse, ut paratus ad cooperandum homini, esse principium in actu primo adjuvans. Unde in his argumentis, ut sæpe notavi supra, sæpe in eo peccatur quod non distinguitur inter auxilium adjuvans in actu secundo, vel in actu primo, nec ut actu datum, vel ut oblatum, et positum in hominis potestate. Et ex eodem defectu procedit argumentum secundum positum c. 1, in principio, quod hic solutum relinquitur. Denique argumenta illa non probant omne auxilium excitans esse tantum sufficiens, quia licet auxilium excitans distinguatur ab adjuvante, et sine illo non consequatur effectum, tamen tale esse potest, ut infallibiliter secum afferat auxilium adjuvans, et ita esse potest efficax, ut libro sequenti ex professo tractabitur.

#### CAPUT V.

UTRUM GRATIA SUFFICIENTIS SIT TANTUM ACTUALIS, VEL ETIAM HABITUALEM INCLUDAT.

1. *Ratio dubitandi.*—Hoc dubium petitur in primo argumento in primo capite relicto, quia gratia sufficiens dat posse, ut proxime diximus; in superioribus autem dictum est habitum infusum dare posse operari supernaturalem ac-

tum; ergo habitus est proprie gratia sufficiens. In contrarium vero est, quia multis datur auxilium sufficiens quibus non datur habitus, vel priusquam illis detur habitus, ut patet in infidelibus, qui habitum fidei non habent, et consequenter nullum infusum habent, quia habitus fidei est primus inter infusos. Et tamen illi habent auxilium sufficiens, ut infra dicemus; ergo habitus nec est auxilium sufficiens, nec ad illum requiritur. Secundo, gratia sufficiens continetur sub genere auxilii; at vero habitus non est auxilium, nam auxilium dicit actualem motionem; ergo. Tertio, etiamsi supponatur, habitus ille indiget actuali motione ut operetur; ergo non ipse habitus, sed motio est auxilium sufficiens.

2. *Explicantur termini.* — In hoc puncto parva est in re difficultas, et ideo, ut tollatur controversia de verbis, suppono imprimis hic non esse sermonem de quacumque gratia sufficiente ad salutem, vel ad remissionem peccati, seu ad vitam æternam consequendam; sic enim gratia habitualis sine operatione potest interdum esse sufficiens, ut patet in parvulis. Agimus ergo de gratia sufficiente ad bene moraliter et supernaturaliter operandum, nam propria auxilia gratiæ ad operationem dantur. Sic ergo auxilium sufficiens duobus modis dicitur, ut sæpe animadverti. Primo, ut in aliqua operatione determinata et speciali sufficit; secundo, quasi collective, ut includit omnia necessaria quibus homo fit simpliciter ac moraliter potens ad eliciendum supernaturalem actum. Priori modo, habitus charitatis dicitur principium sufficiens ad eliciendum actum amoris Dei, et lumen gloriæ est principium sufficiens ad videndum, utique in ratione proximæ virtutis ex parte potentiæ ad agendum. Neutrum autem est sufficiens absolute, et in omni genere; nam intellectus informatum lumine, licet sit potens ex parte sua, non est tamen absolute sufficiens ad videndum, nisi habeat speciem, vel essentiam Dei per modum speciei conjunctam. Sicut visus corporeus est sufficiens ad videndum, in ratione principii proximi ex parte potentiæ vitalis, non tamen absolute, nisi habeat speciem; et ideo sufficientia non simpliciter consistit in uno tantum auxilio vel principio, sed sufficientia simpliciter collectionem plurium requirit. Imo, si loquamur de sufficientia quæ physice et moraliter proxima sit, non solum requirit collectionem omnium principiorum per se requisitorum ad operandum, sed etiam carentiam impedimentorum: ut ignis non est

simpliciter sufficiens ad calefaciendum rem distantem, ita manentem, nec sol ad illuminandum cubiculum undique clausum, et sic de aliis; ergo sufficientia simpliciter includit omnia, et quasi collectiva est, et ita nunc de illa loquimur, quia illa est necessaria ut homo et simpliciter et absolute sit potens ad agendum, ita ut actus sit in libertate ejus, eique imputetur si non faciat, ut videbimus.

3. *Duobus modis actus supernaturales a nobis possunt elici, scilicet connaturaliter, et præternaturaliter.* — Patet ex Concilio Trident. — Deinde observo, ex supradictis, dupliciter fieri posse a nobis actus supernaturales, scilicet connaturali modo, et per principium intrinsecum in nobis permanens; vel præternaturali modo, ut sic dicam, prævia tantum motione primi agentis sublevantis potentiam ad operandum supernaturaliter sine habitu sibi inhærente. Nam de priori modo multa dicta sunt in lib. 2, ex quibus satis constat quomodo ille modus supernaturaliter operandi sit possibilis, et ordinarius in hominibus fidelibus et justis, ratione habituum infusorum qui in illis sunt, et quomodo dicatur connaturalis, non quidem respectu potentiæ secundum se spectatæ, sed respectu habitus infusi. Et inde intelligitur cur alterum modum vocemus præternaturalem, non solum quia supernaturalis est respectu potentiæ, sed etiam quia non habet dictum modum connaturalitatis; et quod hic etiam modus sit possibilis, in lib. 2 et 3, et in materia de visione beata dictum a nobis est, et sumitur ex Concilio Tridentino, sess. 14, cap. 4, dicente contritionem imperfectam esse donum Dei, et Spiritus Sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis. Imo etiam de prima contritione perfecta, infra ostendemus non elici ab habitu, sed etiam esse a Spiritu Sancto movente.

4. *Habitus infusus est principium necessarium et sufficiens, sed non absolute, ad actus supernaturales connaturaliter edendos.* — Probatur assertio. — His ergo positis, dicendum imprimis est, respectu actuum supernaturalium, ut connaturali modo fiant, habitum esse principium necessarium, et in suo ordine sufficiens, non tamen esse absolute et simpliciter auxilium sufficiens, licet aliquo modo dici possit in illo includi. Assertio est facilis quoad omnes partes. Nam imprimis licet habitus infusus non sit simpliciter necessarius ad agendum supernaturaliter, est tamen necessarius ad connaturaliter agendum, quia vox illa *connaturaliter* quasi relativa est, et dicit respec-

tum ad internum principium permanens. Deinde clarum est, ex dictis supra, habitum infusum in suo genere esse principium sufficiens, id est, in ratione principii dantis voluntati vel intellectui internam virtutem agendi, ut in 2 libro declaratum est, quia in eo genere unus habitus sufficit ad proprium actum, est enim in suo genere perfectus, et plures fingere esset supervacaneum, et contra perfectionem talium virtutum, et eadem ratione posset in infinitum procedi, ut recte argumentatur D. Thomas, d. q. 109, art. 6, et docet in art. 9 et 10. Sic enim invenitur sufficientia in habitu; nihilominus tamen verum est non sufficere habitum in ratione auxilii, seu adjutorii divini, quia habitus indiget actuali auxilio divino ad operandum, tum ex parte intellectus seu objecti, ut excitetur mens ad bene utendum infuso habitu, tum ex parte principii, seu ipsius habitus et potentiæ, quæ operari non potest sine actuali concursu Dei ejusdem ordinis cum operatione, ut ex libro superiori constat. Igitur solus habitus præcise sumptus non potest dici auxilium absolute sufficiens, et quasi collective, ut declaravi. Poterit tamen dici unum ex requisitis ad auxilium sufficiens integrum et totale (ut sic dicam), respectu talis modi operandi, utique connaturaliter, ut satis declaratum est.

5. *Sine habitu actus supernaturales possunt fieri per auxilia Dei actualia præternaturaliter.* — Probatur assertio. — Responsio ad rationem dubitandi. — Deinde dicendum est, ut actus supernaturales absolute fieri possint solum præternaturaliter in sensu declarato, habitus non computari in auxilio sufficienti, sed absque illis per auxilia actualia dari posse, et frequentissime dari. Hæc etiam assertio perspicua est; nam ad hunc modum efficiendi hos actus non est necessarius habitus, qui sit principium illorum, ut declaratum et probatum est: ergo sine habitu potest dari potentiæ adiutorium sufficiens ad tales actus eliciendos, quia ad auxilium sufficiens solum requiruntur ea quæ ad efficiendum actum simpliciter necessaria sunt. Item, sine habitu datur auxilium efficax ad efficiendos actus supernaturales dicto modo, quia nullus actus supernaturalis haberi potest sine auxilio efficaci, ut libro sequenti dicemus, et sæpe tales actus fiunt, et non ex habitu: ergo datur tunc ad illos auxilium efficax; ergo et sufficiens, prout in efficaci includitur: ergo etiam poterit dari solum auxilium sufficiens quod non consequatur effectum, quia est contingens ex libertate ar-